

Vulgata

Act, 1-24

1 Facta est autem in illa die persecutio magna in ecclesiam, quae erat Hierosolymis; et omnes dispersi sunt per regiones Iudaeae et Samariae praeter apostolos.

2 Sepelierunt autem Stephanum viri timorati et fecerunt planctum magnum super illum.

3 Saulus vero devastabat ecclesiam, per domos intrans et trahens viros ac mulieres tradebat in custodiam.

4 Igitur qui dispersi erant, pertransierunt evangelizantes verbum.

5 Philippus autem descendens in civitatem Samariae praedicabat illis Christum.

6 Intendebant autem turbae his, quae a Philippo dicebantur, unanimiter, audientes et videntes signa, quae faciebat:

7 ex multis enim eorum, qui habebant spiritus immundos, clamantes voce magna exibant; multi autem paralytici et claudi curati sunt.

8 Factum est autem magnum gaudium in illa civitate.

9 Vir autem quidam nomine Simon iampridem erat in civitate magias faciens et dementans gentem Samariae, dicens esse se aliquem magnum;

10 cui attendebant omnes a minimo usque ad maximum dicentes: „Hic est virtus Dei, quae vocatur Magna.”

11 Attendebant autem eum, propter quod multo tempore magiis dementasset eos.

12 Cum vero credidissent Philippo evangelizanti de regno Dei et nomine Iesu Christi, baptizabantur viri ac mulieres.

13 Tunc Simon et ipse credidit et, cum baptizatus esset, adhaerebat Philippo; videns etiam signa et virtutes magnas fieri stupens admirabatur.

14 Cum autem audissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad illos Petrum et Ioannem;

15 qui cum descendissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum:

16 nondum enim super quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.

17 Tunc imposuerunt manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum.

18 Cum vidisset autem Simon quia per impositionem manuum apostolorum daretur Spiritus, obtulit eis pecuniam

19 dicens: „Date et mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum .“

20 Petrus autem dixit ad eum: „Argentum tuum tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri!

21 Non est tibi pars neque sors in verbo isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo.

22 Paenitentiam itaque age ab hac nequitia tua et roga Dominum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui;

23 in felle enim amaritudinis et obligatione iniquitatis video te esse.“

24 Respondens autem Simon dixit: „Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quae dixistis.“